

v.21: *Placuit DEO, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.*

45. De posteriore verò decreto loquuntur hæc dicta: Joh.8. v.24: *Si non credideritis, quòd Ego sim (nempe filius DEI) moriemini in peccatis vestris.* 2. Thessal. 1. v.8: *Qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, pœnas dabunt, interitum æternum à facie Domini.*

Particularitatis
causa.

46. Porro particularitatis, quæ hîc est, causam quod spectat, non illa DEO tribuenda, quippe quæ in solo residet homine. DEUS enim, ut constat ex hæcenus explicatis & demonstratis, constanter, seriò & ardentè vult, ut omnes æqualiter sine respectu homines audiant verbum, per eius auditum consequantur fidem, tandemq; mediante hac fide salventur. Verùm, quid fit ex parte hominum? Quidam, & sanè maxima pars, DEO misericordi, benigno ac fideli, eiusq; beneplacito universali non obsequuntur: verbum non audiunt, indeq; non CREDUNT: Quocirca sola infidelitas huius particularitatis & damnationis causa est.

47. Rectè enim monet *Hafenrefferus*; quòd tota
» huius negotij summa ad hanc redeat: nempe quòd mi-
» sericordissimus DEUS TOTIUS quidem humani ge-
» neris misertus, & de OMNIBUS omninò hominibus
» per fidem in CHRISTUM salvandis clementissimum
» decretum fecerit: Sed cùm multi homines proprio suo
» vitio & inobedientiâ non credituri erant, idem DE-
» us ab æterno similiter decretum fecerit: Alterum de
» salvandis credentibus; Alterum de condemnandis in-
» credulis.

48. Hæc quando paulò accuratiùs pensantur, facile innotescit, quale sit discrimen inter voluntatem Antecedentem & consequentem.

Triplex di-
scrimen in-

49. *Hafenrefferus* id triplex constituit his ipsis ver-
bis: